UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatvs Beneficiarivs, De Natura & Speciebus Beneficii Ecclesiastici: Item Simonia, pessima Beneficiorum Emptrice

Biesmann, Caspar

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Caput V. De beneficio simoniacè acquisito, & pretio pro eodem accepto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42013

Visual Library

ta ſummo Pontifici, ac proinde ab ordinario collatore conferri nequeunt. Contractu hujus ſimoniæ celebrato & ex neutra parte completo, dictæ pœnæ non incurruntur, ut colligitur ex Bulla, in qua dicitur, debere beneficiũ ſimoniacè eſſe acquiſitum. Unde ſufficit ex altera parte contractum fuiſſe completum, etſi accipiens beneficium ſuam promiſſionem nondum impleverit.

CAPUT V.

De beneficio ſimoniacè acquiſito, & pretio pro eodem accepto.

Beneficium ſimoniacè acquiſitum, dimittendum eſt, & fructus inde percepti integrè reſtituendi ſunt, etiam ante ſententiam Judicis. Quia adeptio beneficii ipſo facto eſt nulla, adeoque neque beneficium, neq; ejus fructus ullo titulo acquiri aut retineri poſſunt. *Vid. Extravag. cùm deteſtabile, de ſimon.* Reſtitutio fructuum perceptorum facienda erit, vel ærario Apoſtolico, vel Eccleſiæ, vel in pios uſus, vel etiam ſuc-

Quid faciẽdum beneficio ſimoniacè accepto, & fructibus inde perceptis.

ceſſori, ſi ita conſuetudo ferat, ut fructus beneficii vacantis dentur ſucceſſori. *Vid. Leſſ. l. c. dub. 31.*

Pretium acceptum pro beneficio cui reſtituendum.

Pretium acceptum pro conferendo beneficio non ſecutâ collatione reſtituendum eſt ei, qui dedit. Quia deeſt titulus retinendi, cùm id non præſtetur, cujus gratiâ datum eſt: neque jura jubent alteri dari. Secutâ collatione poſt ſententiam Judicis ei dandum eſt, cui hic adjudicat: ante ſententiam illi probabiliter, qui dedit, quia dans, non amiſit pretii dominium. Nam accipiens ſecundùm jura erat incapax dominii tali titulo capiendi, ita *Sotus cum aliis.* Contrarium tamen probabilius eſt, etiam ante ſententiam Judicis eſſe reſtituendum Eccleſiæ, in cujus injuriam ſimonia commiſſa eſt, vel etiam ſecundùm quoſdam ex legitima conſuetudine pauperibus. *V. Laym. l. 3. tr. 10. cap. ultimo, §. 9. Leſſ. l. c.* colligitur ex diverſis Canonibus *à Leſſ.* hìc citatis. Quòd ſi acceptum pretium danti reſtituatur, poterit hic illud retinere. Quia nō ipſe, ſed accipiens tenetur in pios uſus expendere, adeoque dans non vi legis immediatè, ſed hoc ipſo, quod accipiens ex præcepto legis pre-

pretium reſtituat Eccleſiæ, privatur dominio illius.

PARS III.

De Dominio, & uſu bonorum Clericalium.

CAPUT I.

Aſſignantur tria genera bonorum Clericalium.

BOna Clericorum ſæcularium triplicis ſunt generis, Patrimonialia, quæ more laicorum acquiruntur hæreditate, arte, induſtriâ, donatione, &c. quaſi Patrimonialia, quæ acquiruntur miniſterio Clericali, non ut reditus beneficii, ſed ut ſtipendium officii Clericalis v. g. ſacrificando, concionando, canendo, confeſſiones excipiendo, Vicariam ad tempus adminiſtrando, quò etiam referuntur ea bona, quæ ab Epiſcopo vel Pontifice alicui aſſignantur ad honeſtam ſuſtentationem. Quia ex-

Alia ſunt Patrimonialia, quæ hæreditate, arte, &c. acquiruntur. Alia quaſi Patrimonialia, quæ acquiruntur non ut reditus beneficii, ſed ut ſtipendium miniſterii Clericalis.